

# EPISTULA LEONINA

## CLIX

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLVIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM UNDESEXAGESIMAM (159) !**

## ARGUMENTA

<b>PYGMALION</b> .....	<b>03 - 05</b>
<b>ANDROIDES EROTICI (Bethge, LEO LATINUS)</b> .....	<b>06 - 12</b>
<b>OLYMPIA PUELLA MECHANICA (E.T.A. Hoffmann, LEO LATINUS)</b> .....	<b>13 - 19</b>
<b>LYDIA (Schirach, LEO LATINUS)</b> .....	<b>20 - 28</b>
<b>ECHUS VOCES (Berschlin)</b> .....	<b>29</b>

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam undesexagesimam. –*

*Hac in Epistulâ Leoninâ agitur de agalmatophiliâ, id est de hominibus statuas pupasve amantibus deque androidibus eroticis. Tria exempla offerimus virorum, qui in amorem inciderunt statuarum puparumve. Quorum prototypus sive archetypus scilicet sit **Pygmalion** artifex ille illustrissimus quem Ovidius artificiosissimê descripsit in Metamorphosis suis. Alter amator puellae artificialis, sed minus felix, est **Nathanael** ille Hoffmannianus, qui Olympiâ pupâ suâ dilapsâ in insaniam incidit. Tertius agalmatophilus in hac Epistulâ Leoninâ descriptus est **Meyerbeck** programmator solitarius, qui amore Lydiae androidis sive potius gynaecoidis captus non cessat eandem a vicino violatam violenter defendere... Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 159 tolle et lege et laetare...!*

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ Palmarum**



**25. m.Mart. a.2018**



**dataque oscula virgo  
sensit et erubuit timidumque ad lumina lumen  
attollens pariter cum caelo vidit amantem.**

**OVIDIUS, Metamorphoses X 292-294**

**Pinxit *Jean-Léon Gérôme* (1824-1904). Haec pictura invenitur in museo Londinensi, quod appellatur *The Bridgemen Art Library*.**

**OVIDIUS, Metamorphoses X 243-297****PYGMALION**

'Quas quia Pygmalion aevum per crimen agentis viderat, offensus vitiis, quae plurima menti femineae natura dedit, sine coniuge caelebs vivebat thalamicque diu consorte carebat.	245
interea niveum mira feliciter arte sculpsit ebur formamque dedit, qua femina nasci nulla potest, operisque sui concepit amorem. virginis est verae facies, quam vivere credas, et, si non obstet reverentia, velle moveri: ars adeo latet arte sua. miratur et haurit pectore Pygmalion simulati corporis ignes. saepe manus operi temptantes admovet, an sit corpus an illud ebur, nec adhuc ebur esse fatetur.	250 255
oscula dat reddique putat loquiturque tenetque et credit tactis digitos insidere membris et metuit, pressos veniat ne livor in artus, et modo blanditias adhibet, modo grata puellis munera fert illi conchas teretesque lapillos et parvas volucres et flores mille colorum liliaque pictasque pilas et ab arbore lapsas Heliadum lacrimas; ornat quoque vestibus artus, dat digitis gemmas, dat longa monilia collo, aure leves baccae, redimicula pectore pendent: cuncta decent; nec nuda minus formosa videtur. conlocat hanc stratis concha Sidonide tinctis adpellatque tori sociam adclinataque colla mollibus in plumis, tamquam sensura, reponit.	260
'Festa dies Veneris tota celeberrima Cypro venerat, et pandis inductae cornibus aurum conliderant ictae nivea cervice iuvencae, turaque fumabant, cum munere functus ad aras constitit et timide "si, di, dare cuncta potestis, sit coniunx, opto," non ausus "eburnea virgo" dicere, Pygmalion "similis mea" dixit "eburnae."	270 275

sensit, ut ipsa suis aderat Venus aurea festis,  
 vota quid illa velint et, amici numinis omen,  
 flamma ter accensa est apicemque per aera duxit.  
 ut rediit, simulacra suae petit ille puellae                    280  
 incumbensque toro dedit oscula: visa tepere est;  
 admovet os iterum, manibus quoque pectora temptat:  
 temptatum mollescit ebur positoque rigore  
 subsidit digitis ceditque, ut Hymettia sole  
 cera remollescit tractataque pollice multas                    285  
 flectitur in facies ipsoque fit utilis usu.  
 dum stupet et dubie gaudet fallique veretur,  
 rursus amans rursusque manu sua vota retractat.  
 corpus erat! saliunt temptatae pollice venae.  
 tum vero Paphius plenissima concipit heros                    290  
 verba, quibus Veneri grates agat, oraque tandem  
 ore suo non falsa premit, dataque oscula virgo  
 sensit et erubuit timidumque ad lumina lumen  
 attollens pariter cum caelo vidit amantem.  
 coniugio, quod fecit, adest dea, iamque coactis                    295  
 cornibus in plenum noviens lunaribus orbem  
 illa Paphon genuit, de qua tenet insula nomen.

# ANDROIDES EROTICI

## Venus androidea

*Scriptis Philip Bethge, in Latinum convertit Nicolaus Groß*

**David Levy, vir intellegentiae artificialis peritissimus, vaticinatur mox tempus fore, quo robotores hominum consortes sociales et venerei futuri sint cottidiani. David pollicetur robotoribus factum iri venerem meliorem melioresque rationes sociales.**

*Andrea* puella mechanica, cuius mensurae sunt 101-56-86, habet ea, quae viri exoptant praecipua: "patientiam infinitam" – id quidem promittitur a fabricatoribus, quorum officina in oppido *Neumarkt* prope Norimbergam sita appellatur „*First Androids*". Puella automatica instrui potest his mechanematis additiis, quae sunt: "systema fellandi, sine gradibus regulabile", "pulsus sensibilis", "rotatio coxendicis" necnon "systema calefactorium gubernabile atque regulabile", quo augetur temperatura corporis.

## VENUS ROBOTORALIS: HOMINES COIRE CUM MACHINIS



**Andrea pupa venerea technicae altioris: "Hodie, amate, nolo tecum, volo coire cum viro robotorali"**



**Ecce puella robotoralis eiusque creator *Hiroshi Ishiguro* Iapon robotorum peritissimus: Num eadem est praenuntia novi ordinis mundani?**



*David Levy*: "Exceptis" inquit „pedibus – qui remanent frigidi, quales sunt pedes veri". Idem Britannus Andream optimê novit, sed (ut ipse dicit) causâ merê scientificâ: *Davidi* enim haec pupa technicâ altiore confecta videtur esse praenuntia novi ordinis mundani.

**Auctor *Levy*\* "Animus vehementer commovetur"** *David* est vir intellegentiae artificialis peritissimus. *Davidis* thema est "Amor et Venus robotoralis", idem praedicit socios hominum sociales et venereos fore robotores masculinos femininosve ("*malebots*" et "*fembots*"). Nunc autem idem *David* optimus lusor scaccarius praesesque Associationis Lusuum Computatralium Internationalis proponit librum, quo homines provocantur sensu verbi optimo\*. Theses enim huius viri 62 (sexaginta duos) annos nati: Nos

coibimus cum robotoribus. Qui nobis monstrabunt technas venereas, quas esse numquam eramus suspicati. Quos robotores amabimus et honorabimus, iisdem mandabimus secreta nostra abditissima. Et haec omnia ad verum erunt adducta post spatium quadraginta ferê annorum.

"Plerique homines" *David* inquit „nondum possunt animo fingere artificiales consortes aut maritos aut uxores aut amicos aut amatores. At mea thesis est haec: Robotores, quo erunt ingenio multiplici, consortes erunt hominibus maximê attractivi." Rationes technicae cum rapidê augeantur, mox futuras esse machinas hominibus similes. *David*: "Venus et amor robotoralis sunt inevitabiles."

Haud nova est idea amoris, qui intercedit inter homines et androides\*\*, i.e. machinas hominibus formâ similes. Iam in illustri mytho Graeco *Pygmalion* sculptor statuam format mulieris sibi exoptatissimae. Idem orat Venerem, ut mulierem a se fictam, cui nomen imposuit *Galateae*, inanimet, ut vivat. Quod votum a Venere expletur. *Pygmalion* cum *Galateam* osculetur, eadem reddit osculum. Vir et femina conubio inter se coniunguntur.

*David* sentit similia nunc factum iri de robotoribus. Ubique iam pullulare ‚robotophiliam’. Ex exemplis *Aibonis*, Sonyani canis robotoralis, aut *Furbyi* robotoris lusorii, quod est genus everriculi computatralis, apparere, quanta vis attractrix insit robotoribus, et quantum iisdem anima hominis possit commoveri. *David Levy*: "Hodie" inquit „haud insolito fit, ut anima hominum vehementer commoveatur animalibus domesticis artificialibus. Quid miremur, si qui homines similiter medullitus attrahantur ab androidibus?"

Iam computatris simplicibus nonnulli coaequalium nostrorum attrahuntur vi ferê magicâ. *David Levy* libro suo praeposuit verba dedicatoria quae sequuntur: "*Antonio alumno academico, qui studuerat amicas sibi invenire, sed intellexit se praeferre rationes cum computatris ineundas.*" Quid dicent tales computatrorum amatores, si poterunt amare computatra, quae moveantur, loquantur, fortasse hominum more sentiant et sint eorundem formâ et facie?

*David* verbis effert ipsis autem in rebus venereis robotores fortasse mox superaturos esse veros homines carne et sanguine compositos. Qui investigator invadit in theatrum extremum veneris machinalis, ut



demonstret, quam cupidus sit *Homo sapiens* crepundia venerea adhibendi. *David* scitē disserit de vetustis instrumentis vibratoriiis, quae excitabantur mechanismo horologii aut machinā vaporariā. Necnon a *Davide* describitur apparatus masturbationis pedali adhibendus mulieribus destinatus. Qui a.1926 constructus est ab ingeniariis Lipsiensibus.

Idem auctor in anthologiâ Iaponicâ saeculo septimo decimo scriptâ lêgit de „itinerario pulvino libidinoso". Haec vulva artificialis in Iaponiâ "*azumagata*" (compensatio mulieris) appellatur, celtio est confecta, foramine instructa, examito obiecta. Nautae autem Batavi in itineribus suis mercatoriis per totum orbem faciendis lectulos suos communicabant cum pupis coriaceis manu consutis.

Itaque adhuc in Iaponiâ pupae venereae appellantur „uxores Batavae". Sed tales pupae pridem non iam conficiuntur e corio. Ut exemplum afferatur: Negotiatio Iaponica, cui nomen est „*Orient Industry*", vendit pupas mulierum aspectûs perfectê humani, quae dicuntur simillimae esse iuvenibus mulieribus Iaponicis necnon, si tanguntur, viros eodem modo excitare quam iuvencae Iaponicae. Haec negotiatio primum maius lucrum accepit pupis suis, quae appellabantur "*Antarctica*". Olim Iapones investigatores polares tales pupas secum tulerunt ad „*Showa*" stationem antarcticam, ut iisdem calefierent longis hiemibus antarcticis.

Alterum exemplum: Negotiatio US-Americana, cui nomen est „*RealDoll*", quae dicitur ducere mercatum puparum venerearum veris puellis simillarum: quae pretio 6500 (sex milium quingentorum) dolariorum praebet vendendas pupas "*Leah*" aut "*Stephanie*" – quae habent – pro gustu emptoris – fasciarum pectoralium magnitudinem aut 65A aut 75H. Utraque pupa viros empturientes allicit tribus „voluptatum portalibus". Etiam praebetur "*Charlie*", cui applicari potest penis magnitudinis variabilis necnon „ânus optabilis".

Num haec omnia nihil sunt quam figmenta pseudo-erotica veneri veloci et superficiali destinata? *Hideo Tsuchiya*, praeses negotiationis „*Orient Industry*": „Nequaquam" inquit „talia sunt. Uxor enim Batava magis valet quam pupa aut obiectum quodlibet: Quae uxor artificialis

potest esse amatrix inestimabilis, qua efficiuntur sensûs caritatis et tutelae et teneritudinis."

Similia affirmantur a  *Davide Levy*. Num robotores feminini et masculini post pauca decennia tam similes erunt hominibus, ut habeantur pro consortibus venereis amatorem humanum aequantibus, immo superantibus?

Aspectus humanus videtur esse problema minus. Iam ante duos annos  *Hiroshi Ishiguro* revelavit robotorem sum femininum, cui nomen imposuit " *Repliee Q1*". Quo nomine minus amabili lector ne fallatur: Nam haec creatura  *Ishiguronis* vere digna est, quae habeatur pro primâ feminâ historiae humanae robotorali.  *David Levy* refert eandem „gyn(aec)oidem" propter 42 (quadraginta duo) actuatra pneumatica posse moveri et se gerere more humano.  *David* suavissimê affectus: "Haec femina artificialis" inquit „videtur respirare, manûs potest movere more humano, reagit, si tangitur".

At multo difficilius quam res exteriores applicare est robotoribus quodammodo inspirare animam. Hoc facere robotorologis nondum sat bene successit, quia adhuc desunt technemata quaedam fundamentalia: Exempli gratiâ organis robotorum sensoriis hîc tempore nondum fieri posse, ut iidem socios humanos diversos sat firmê fideliterque discernant unum ab alio. At si robotor consortem vitae suum non agnoscat, immo, si eundem confundat cum alio homine, perfacile fieri posse, ut deleatur amor humano-robotoralis.

Tamen  *David* vaticinatur progressum robotoralem factum iri rapidissimum. Qui minimê dubitat, num robotoribus imbui vel instillari possint cura animi et affectus miserationis et aegritudinis societas, sal atque animus facetus et amor caritasque –  *Davidi* haec omnia videntur nihil esse nisi quaestiones rectae rationis technicae adhibendae. Tales commotiones animi, velut affectum miserationis, nihil esse nisi „pensum discendum" ideoque „non nimis difficile esse robotores iisdem implere." Machinae nihil esse faciendum nisi hominem consortem esse observandum, deinde sagaciter deliberandum esse de hominis cogitationibus, tum aptê et commodê reagendum.

*David:* "Intelligentiâ artificiali" inquit „fieri poterit, ut robotores agant, quasi ea omnia experta sint, quae verus homo potest experiri in vitâ suâ." Exemplum affert amoris: Si qui robotor amorem simulat persuasibiliter – potestne adhuc negari eundem esse amore affectum? Quid, si machina dicit „Amo te" et haec verba ita sonant, ut machina credatur verê amare?

Commoda autem amatorum androidum, si comparantur cum humanis, *Davidi* videntur esse inexcusable: adulterium, morositas, mores Abderitani, odium vasa escaria eluendi, furor lusûs pedifollii fanaticus – omnia haec mala conubialia abolitum iri. Ipsa mors a robotore evitabitur: Nam *David* totam robotoris personalitatem vult condere laminis computatri fixis: Si corpus eius consenuerit, novum fabricabitur, cui indatur persona computatro recondita.

Et quid de venere robotorali? Babae, quanta commoda! Robotores semper esse ad venerem paratos, semper obsequentes, numquam spe decipi, numquam migraenâ vexari – iisdemque indi posse phantasias venereas aut lenes aut asperas, maximê varias et exoticas: robotori indi posse programmata "artis amatoriae totius orbis terrarum" necnon „modum discendi", qui destinatus sit „discipulo veneris novicio". Vaginae dimensiones penisque magnitudines et corporis fragrantiam et genera barbae – fore, ut haec omnia eligi possint ad libitum.

*David:* "Finge tibi animo mundum, in quo robotores ferê tales sunt quales nos. En quantum hoc valebit ad societatem humanam." Immo hic investigator scientificus exponit etiam quaestiones morales, quae solvendae erunt invasione robotorum factâ: Eritne turpe androidem amicis dare mutuum aut robotorem amici adhibere amico inscio? Licetne androidem fraudare? Quid maritus dicet uxore sibi insusurrante: „Hodie nolo tecum, volo coire cum robotore?"

*Davidi* persuasum est ipsas uxores, etsi in initio sint cessaturae, mox laetê libenterque praelaturas esse robotores patri familias flaccescenti atque sudore madenti. Eaedem, cum plerique viri sint mediocri tantum potentiae, quanto veneris egeant, iam apparere ex ingenti numero olisborum vibraculorumve, quae quotannis vendantur.

Et quid de viris? Eorum causâ videtur non esse necessaria tota ista subtilitas intelligentiae artificialis.

*Henricus* enim *Christensen*, coordinator Europaei Retificii Investigationis Robotoralis (*European Robotics Research Network*): „Viri” inquit „lubidine affecti parati sunt ad ineundas simplicissimas pupas inflabiles”. Tantulam artem technicam facilem esse superatu: „Omnes pupae” *Henricus* inquit „quae moventur, iam erunt meliores quam illae.” \_\_\_\_\_

\* David Levy: "Love and Sex with Robots. The Evolution of Human-Robot Relationships". Domus editoria Neo-Eboracensis Harper; 336 pp.; 24,95 US-Dolaria.

Hanc relationem d.10.m.Dec., a.2007 in periodico interretiali „SPIEGEL-online” inventam (*titulus originalis: „ROBOTIK – Liebhaber mit Platine”, cfr DER SPIEGEL 50/2007, d.10.m.Dec., a.2007, p.154*) e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/>


### Appendicula grammatica ab interprete subiuncta

Verbum „**androïdēs, -is m./f.**” respondet adiectivo Graecanico, quod est aut masculini aut femini generis generis; idem significat „is qui est viro/homini similis” et in casûs declinandum est ratione, quae sequitur (cfr William T. Stearn, *Botanical Latin – History, Grammar, Syntax, Terminology and Vocabulary*, 2.a ed., Edinburgh 1967, p.97: GROUP C bryoides (M.&F..) et epiphloeodes (M.&F.)).

	singularis	pluralis
N.	androïdes	androïdēs
G.	androïdis	androïdum
D.	androïdī	androïdibus
Acc.	androïdem	androïdēs
Abl.	androïde	androïdibus

### In Latinum convertit

**Nicolaus Gross**



**LEO LATINUS**

## DE OLYMPIA PUELLA MECHANICA

Textus qui sequitur, a Nicolao Groß ex Ernesti Theodori Amadei Hoffmann (1776-1822) fabula novella, c.t. Vir harenarius („Der Sandmann“, a.1816), excerptus est et in Latinum conversus.



**COPPÉLIA.** ballatiuncula secundum „Harenarium“ Ernesti Theodori Amadei Hoffmann composita. Modos musicos confecerunt Léo Delibes, Charles Nutter, choreographiam instituit Slavomir Wozniak. Haec imago est a Theatro Bambergensi publicata: Theater Stadt Bamberg, Juni 2009.

Nathanaël prorsus oblītus erat Claram esse in mundo, quam alioquin amavisset; - mater – Lotharius – omnes ex eius memoriâ evaserant, is nemini vivebat nisi Olympiae, apud quam cottidie per horas sedens de amore suo, de sympathiâ vivacissimê ardescenti, de animarum affinitate hariolabatur, quae omnia Olympia attentissimê auscultabat. Nathanaël ex pulpiti scriptorii angulo extremo omnia exemit, quae umquam scripserat, carmina, fabellas phantasticas, visiones, fabulas romanicas, narrationes, quas cottidie augebat variis sonetis, stantiis, cantionibus temere compositis, et haec omnia unum post aliud Olympiae per horas assiduê recitabat. At numquam antea habuerat auditricem tam mirabilem. Quae neque acu pingebat neque texebat, non spectabat per fenestram, non cibabat aviculam, non ludebat cum catulo Melitaeo neque cum cattulâ delicatâ, neque segmina chartae neque aliud quicquam manu contorquebat, non tussiculâ submissê coactâ impediēbat, ne oscitaret – ne multa! – per horas illa non

desinebat torpentes oculos suos in Nathanaëlis defigere neque ullo modo ex suo loco se movebat, sed etiam ardentius, etiam vivacius illum aspectabat. At cum Nathanaël denique surgebat puellaeque manum, immo ôs osculabatur, illa dicebat: “Ah, ah!” – sed deinde: “Bonam noctem, mi care!” – “O tu anima magna, tu profundissima!” Nathanaël in conclavi suo vocabat: “a nemine totus intellegor nisi a te.” Intimo ex animo contremebat considerans cottidie magis patêre, quam mirabiliter inter se concordaret animus suus cum Olympiae; nam Nathanaël putabat illam de operibus suis, de suo ingenio poetico generali imo e secreto pectoris suo locutam esse, immo vocem puellae e pectore sui ipsius sonuisse. Scilicet ei verê sic visum esse; nam plura verba quam modo memoravimus Olympia fecit numquam. Nathanaël quamquam iis temporis momentis, quibus erat animo claro atque sobrio, exempli gratia mâne brevi postquam experrectus erat, reverâ recordabatur Olympiae inertiam atque parcitatem verborum, tamen dicebat: “Quanti valent verba – verba! - Intuitu oculorum divino haec puella plura dicit quam dici possunt ullâ linguâ humanâ. Num umquam fieri potest, ut caeli filiola se insinuet in angustias miserae indigentiae humanae?” –

Professor Spalanzanius videbatur valdê laetari de re, quam filia sua habuit cum Nathanaële; ei cum varia signa benevolentiae daret haud ambigua, tum ad foedus amoris cum illâ iungendum cautê alludere auso Spalanzanius totâ facie arridens dixit se filiae suae concessurum esse plenam libertatem eligendi. - His verbis excitatus Nathanaël fervido desiderio affectus constituit, ut postridie iam Olympiam rogaret, ne diutius cessaret illud claris verbis eloqui, quod sibi oculis suis amabilibus iam pridem dixisset, id est se velle in sempiternum fieri Nathanaëli propriam. Quaesivit autem ânulum, quem mater sibi donaverat valedicens, Olympiae offerendum, ut esset symbolum animi sui puellae dediti et vitae suae cum illâ denuo germinantis florescentisque. Nathanaëli quaerenti in manûs inciderunt epistulae Clarae Lotharii; quas negligenter abiecit, ânulum invênit, bracarum sacco indidit, ad Olympiam cucurrit.

Iam in scalis, in androne strepitum audivit mirum; qui visus est sonare ex Spalanzanii studiolo. – Pedibus supposum est - clangor editus – ianua impulsa, interea audita sunt maledicta et execrationes. “Omitte me – omitte me – vir infamis – impie! – nefas viri! – Mene isti rei

totum animum dedisse? – ha ha ha ha! – Istud non convênit inter nos! – ego, ego feci oculos – ego machinam rotalem – vae tibi stulto diabolo confectori machinae rotalis – simplex horologiari exsecratissime! – apage – Satana – siste – fraudator – bestia infernalis! – siste – abi – omitte me!” – Hae erant voces Spalanzanii Coppeliique atrocis, quae sic inter se permixtae stridebant et furebant.

Illis raptim se interposuit Nathanaël metu ineffabili affectus. Professor corripuerat umeros, Coppola Italianus pedes figurae muliebris, quam huc illuc trahebant iratissimi de possessione rixantes. Nathanaël, cum figuram esse Olympiam cognovisset, vehementissimê perterritus repulsus est; ad iram fervidam exardescens puellam amatam voluit eripere saevientibus, sed eo momento temporis Coppola vi ingenti se vertens ipsâ figurâ e manibus professoris evulsâ eidem plagam tam terribilem inflixit, ut Spallanzanius retro titubans super mensam, cui impositae erant phiolae, vasa retorta, lagoenae, cylindri vitrei, ad pavimentum repelleretur; omnia instrumenta magno cum crepitu sescenta in fragmenta diffracta sunt. Nunc Coppola figurâ umero raptim impositâ horribiliter cachinnans per scalas decurrit, ut pedês figurae lignei foedê dependentes in gradibus crepitarent atque streperent. Nathanaël autem stabat obstupefactus – creverat enim et viderat Olympiae faciem luridam oculorum esse expertem, eorum locis esse foramina nigra; Olympiam nihil esse nisi pupam vitâ carentem. Spalanzanius in pavimento se volutabat, cum eius caput pectus brachia vitri fragmentis essent insecta, sanguis profluebat tamquam aqua saliens. At totis viribus: “Fac” inquit “sequaris – sequere istum – quid cessas? Coppelius – Coppelius, optimum mei automaton mihi rapuit – ut construerem laboravi per viginti annos – data merces est doloris mei magna – machina rotalis – lingua – meatus – meus – oculi – oculi tibi surrepti. – damnate – exsecrate – sequere illum – affer mihi Olympiam – en accipe oculos!” Nunc Nathanaël vidit par oculorum cruentorum, qui torpentes erant in se defixi. Spalanzanius eosdem manu non violatâ correptos in Nathanaëlem coniecit, ut ad eius pectus alliderentur. – Tum is furore tamquam unguibus ferventibus correptus incidit in summam insaniam. “Hui – hui – hui! – *circule ignite – circule ignite!* rotare, circule ignite – laetare – laetare! – pupula lignea hui pulchra pupula lignea rotare –!” his clamatis in professorem se proripuit eiusque fauces contorsit.

Cuius spiritum elisisset, nisi strepitu allecti multi homines invasissent et Nathanaëlem saevientem abripuissent eoque modo servavissent professorem, cuius vulnera mox obligata sunt. Sigismundus quamvis robustissimus non potuit furentem cohibere; qui non desinebat voce horribili clamare: «Pupula lignea, rotare» manibusque in pugnos compressis huc illuc colaphos ducebat.

Tandem viribus coniunctis complures viri id assecuti sunt, ut Nathanaëlem in pavementum deicientes et vincientes superarent. Verba eius obruta sunt clamoribus terribilibus, quos edebat more ferino. Tam atrociter furens allatus est in morocomium.

Priusquam, Lector benevole ! pergam tibi narrare, quid factum sit de misero Nathanaële, si quidem cupis legere aliquid de fato Spalanzanii mechanici sollertis fabricatorisque automatorum, affirmo tibi eius vulnera prorsus sanata esse. At eidem universitas studiorum erat relinquenda, quia mala fama rei de Nathanaële infelici factae percrebruerat necnon generaliter pro fraude funditus illicitâ id habebatur, quod sani viri circulatorum theanorum participes (quos Olympia feliciter visitaverat) adducti erant, ut crederent pupam ligneam esse mulierem vivam. Iurisconsulti autem dixerunt istam fraudem esse subtilem eoque durius puniendam, quo in spectatores esset directa atque tam callidê composita, ut a nemine (exceptis quibusdam alumnis academicis omnium sagacissimis) perspiceretur, quamvis nunc omnes simularent se esse sapientes et se provocarent ad varias res factas, quae sibi venissent in suspicionem. Eorum autem postremi nullum invenerunt indicium verê persuasibile. Nam exempli gratiâ num cui homini id in suspicionem venire potuerat, quod teste quodam theistâ eleganti Olympia contra omnem morem saepius sternutaverat quam oscitaverat? Vir elegans enim dixit sonum prius memoratum effectum esse elatere, qui ipso machinamento denuo intensus esset, quo crepitus audiretur, e.q.s. Professor autem poeseos eloquentiaeque micâ tabaci sumptâ et pyxide clausâ screavit et sollemniter locutus est: «Domini Dominaeque summê reverendae! Nonne animadvertitis, unde illae lacrimae? Tota res est allegoria – metaphora continuata! – Me intellegitis! – *Sapienti sat!*” At multorum dominorum summê reverendorum animi his verbis nequaquam sunt sedati; res de automato facta in eorum animis penitus inhaeserat, ut



irreperet figurarum humanarum suspicio abominabilis. Complures amatores, ut sibi prorsus persuaderetur se nullam amare pupam ligneam, postulaverunt, ut puella amata aliquanto immoderatê cantaret saltaretque, ut recitationem audiens acu pingeret texeretque, cum catulo fricatore luderet etc., sed praecipuê, ut eadem non solum audiret, sed interdum quoque eo more loqueretur, ut reverâ patêret talem locutionem non fieri posse nisi cogitando atque sentiendo. Ita cum multorum foedus amatorium firmatum fieret lepidius, alii submissê discesserunt. Hic et ille: “Haec res” inquit “profecto non potest praestari”. In circulis theanis incredibile est, quoties oscitatum sit, sed, ut evitaretur omnis suspicio, numquam est sternutum. -

Spalanzano, ut supra memoravi, abeundum fuit, ut subterfugeret inquisitionem criminalem, quae facienda erat propter automaton in societatem humanam fraudulenter subintroductum. Coppola quoque evaserat. ...

## VOCABULA RARIORA ET RECENTIORA

*Da.1 = Dante Alighieri (1265-1321), De vulgari eloquentia, lib.II, cap.VIII sq. (textus Latinus):*  
<http://www.thelatinlibrary.com/dante/vulgar2.shtml#>

*Da.2 = Dante Alighieri, De vulgari eloquentia, Buch II, Kap. 8sq. (theodisce reddidit K.L. Kannegießer):*  
[http://de.wikisource.org/wiki/De\\_vulgari\\_eloquentia/II.\\_Buch\\_%E2%80%93\\_Achtes\\_Kapitel](http://de.wikisource.org/wiki/De_vulgari_eloquentia/II._Buch_%E2%80%93_Achtes_Kapitel)  
[http://de.wikisource.org/wiki/De\\_vulgari\\_eloquentia/II.\\_Buch\\_%E2%80%93\\_Neuntes\\_Kapitel](http://de.wikisource.org/wiki/De_vulgari_eloquentia/II._Buch_%E2%80%93_Neuntes_Kapitel)

*He. = Helfer, Christian: Lexicon Auxiliare. Ein deutsch-lateinisches Wörterbuch. 3.Auflage. Saarbrücken 1991.*

*Ho. = Hoven, René: Lexique de la Prose Latine de la Renaissance. Leiden 1994.*

*Ge. 1 = Georges, Karl Ernst: Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch. 14.Auflage. 2 Bände. Hannover 1976.*

*Ge. 2 = Georges, Karl Ernst: Ausführliches Deutsch-lateinisches Handwörterbuch. 7.Auflage. Leipzig 1882.*

*He. = Helfer, Christian: Lexicon Auxiliare. Ein deutsch-lateinisches Wörterbuch. Dritte, sehr verbesserte Auflage. Saarbrücken 1991.*

*OL = Graesse/Benedict: Orbis Latinus oder Verzeichnis der wichtigsten lateinischen Orts- und Ländernamen. 2.Auflage. Berlin 1983.*

*OLD = Oxford Latin Dictionary. Ed. Glare. Oxford 1982.*

*Sl. = Sleumer, Albert: Kirchenlateinisches Wörterbuch. Limburg a.d. Lahn 1926.*

*Va. = Váczy, Coloman: Dicționar Botanic Poliglot, București 1980.*

**acus**, -ūs f. *Nadel*; **acū pingere** *orig. sticken*; Ge.2, 2, 1158 s.v. sticken: pingere acu. **acū texere** *orig. stricken*. Ge.2,2,1192, s.v. stricken: \*acubus od. bacillis texere; im Zshg. auch bl. texere (z.B. rete, reticulum).

**ānulus**, -ī m. *orig. Ring*.

**automaton**, -ī n. *orig. Automat*. OLD 220, s.v. automatum (-on) -i, n. [αὐτόματος] 1 An automatic contrivance, automaton. PETR.50,1; ne per parietem -um aliquod exiret 54-4; -um vel pegma SUET.Cl.34.2. 2 (app.) Automatic or puppet-like movements. Frater sororis suae -a per clostellum miratur PETR.140.11.

**cantiō**, -ōnis f. *orig. Kanzone*. cfr Da.1: 3. Est enim **cantio**, secundum verum nominis significatum, ipse canendi actus vel passio, sicut lectio passio vel actus legendi. Sed divaricemus quod dictum est, utrum videlicet hec sit cantio prout est actus, vel prout est passio. – cfr Da.2: Nun ist **die Kanzone** nach der wahren Bedeutung

des Wortes die Handlung des Singens selbst, oder der Zustand, sowie die Lesung Zustand oder Handlung des Lesens ist.

**cattula dēlicāta** *orig. Lieblingskatze.*

**catulus fricātor** *orig. Möpschen.*

**catulus Melitaeus** *orig. Schoßhündchen.*

**circulus ignītus** *orig. Feuerkreis.*

**\*elater**, ēris m. *Feder.*

**fābula +rōmānica** *orig. Roman.*

**faucēs contorquēre** *orig. die Kehle zudrücken.*

**hariolor**, -ātus sum *orig. phantasieren. cfr*

**māchina rotālis** *orig. Räderwerk.*

**mīca \*tabācī** *orig. Prise.*

**Nathanaël**, -ēlis m. *cfr Johann Nikolaus Nahr, Nathanaelem apostolum a Bartholomaeo non diversum. Lipsiae 1740.*

**ōscitō**, -āvī, -ātum *orig. gähnen.*

**pavīmentum**, -ī n. *Fußboden.*

**phiala**, -ae f. *orig. Phirole.*

**pulpitum scrīptōrium** *orig. Schreibpult.*

**pūpa**, -ae f. *orig. Puppe.*

**pūpula**, -ae f. *orig. Püppchen.*

**sacculus brācārum** *orig. (Hosen)tasche.*

**sēgmīna chartae** *orig. Papierschnitzchen.*

**+sonētum**, -ī n. *orig. Sonett. cfr Nicolás Antonio: Bibliotheca Hispana Vetus sive sive Hispani scriptores qui ab Octaviani ..., tom.II, Matrivi 1788, p.74: "Petarca dixit in quodam soneto: ...Et aliud illius sonetum ita incipit..."*

**spīritum ēlīdere** *orig. erwürgen.*

**+stantia**, -ae f. *orig. Stanze. cfr Da.1, cap.IX,1. Quia, ut dictum est, cantio est coniugatio stantiarum, ignorato quid sit stantia necesse est cantionem ignorare:.. cfr Da.2, Kap.9: Weil, wie gesagt ist, die Kanzone eine Verbindung von Stanzen ist, so kann man, wenn man nicht weiß, was Stanze sei, natürlich auch nicht wissen, was Kanzone sei;*

**sternūtō**, -āvī, -ātum *orig. niesen.*

**studiolum**, -ī n. *orig. Studierzimmer. Hoc verbum sensu antiquo valet scriptiunculam: OLD 1830 s.v.: A short piece of literary composition. ...AUR.Fro.I p.178(68N.). Sed apud humanistas est i.q. conclave, ubi docti legunt et scribunt et student litteris pernoscendis: Ho.343 : « +studiolum, -i \*\*petit bureau, cabinet de travail : AGNELIUS,122,6 ; 139,2. – v. academiola,C, litteratorium, museolum, museum et phrontisterium".*

**subintrōdūcō**, -dūxī, -ductum *orig. einschieben. Ge.1., 2,2856, s.v. subintroduco: ...insgeheim einführen, Augustin.epist.78,3. Hieron.epist.112,6. Vulg.Galat.2,3. – übtr. fälschlich einführen, einschmuggeln, quartam in trinitate personam, Augustin.epist.219,1.*

**thea**, -ae f. *Tee. He.547, s.v.: ...thea, -ae f. [1648; Lae.1900,1,241→E.KAEMPFER 1712,608-630; J.C.TILLAEUS: De potu theae. Diss. Uppsala 1765]...*


**\*theānus**, -a, -um. *Tee//. circulus \*theanus Teezirkel. cfr He. 547, s.v. Teekanne: hirnea \*theana [Ei.81,19].*

**\*theista**, -ae m. *orig. Theist (sensu iocoso non refertur ad theismum, i.e. cultum deorum, sed ad theam, i.e. potionem Sinicam: „theista“ hoc loco valet virum circuli theani participem).*


**unde illae lacrimae.** *orig. ...wo der Hase im Pfeffer liegt.* cfr Ter. Andr. 126: hinc illae lacrumae. Cic. Pro Cael. 61: hinc illae lacrimae. Hor. Ep. I,19,41: hinc illae lacrimae. Iuv. 1,168: inde ira et lacrimae. cfr Ge.2,1970, s.v. Hund: ...Sprüchw., da liegt der Hund begraben, hinc illae lacrimae (Hor.ep.1,19,41)...

**vās retortum** *orig. Retorte.* He.458, s.v. Retorte: ...(vas) retortum seu cornutum [J. VERNER 1835, 2,15].

Hunc textum e “Viro harenario” fabula novella ipsius E.T.A. Hoffmann excerptum Latinê reddidit indiceque vocabulorum instruxit NICOLAUS GROSS.



**Textus  
supra positus  
a Leone Latino**



**ex  
Ernesti Theodori Amadei  
Hoffmannii (1776-1822)  
fabula novella,  
c.t. Vir harenarius  
(„Der Sandmann“, a.1816)  
excerptus  
Latine redditus est.**

# LYDIA

*Narratio criminalis a Ferdinando de Schirach scripta,  
quam in Latinum convertit LEO LATINUS.*



**Ferdinand von Schirach (a.2009)**

**Defensor poenalis et auctor fabularum criminalium**

cfr Epistula Leonina 53, p.7-17; 54, p.4-10; 55, p.4-15; 78, p.18-27; 81, p.12-20; 158, p.8-20.

Uxor Meyerbeckii: »Accidit« inquit, »ut alium virum noscerem«. Tempus est diei dominici antemeridianum. In mulieris catino positus est panicellus refurnabilis<sup>1</sup>. Quem ea non attingit. At Meyerbeckius esurit. Eius uxor loquitur celerrimê, cum ille comedit. Meyerbeckius autem balbutit, ex quo puer fuit. Qui non potest loqui volubiliter, nisi a nemine auditur.

Meyerbeckius cogitat: ‚Fieri potest, ut hodie vehamur ad lacum‘. Uxorem posse legere periodicum illustratum seque in caelum prospicere. Ad lacum omnia fore talia qualia essent semper. Postea se ituros esse ad cauponam pittariam<sup>2</sup> ibique in horto poturos esse cervesiam frigidam.

Uxor eius dicit se hoc non posse evitare et deinde coepit flere. Iam diu unâ vivunt. Meyerbeckius surgit. Qui manûs imponit sacculis bracarum et per fenestram coquinae prospicit.

<sup>1</sup> \*refurnābilis, -e: Aufback//. Theod. „backen“ Latine est *furno coquere*. In antiquis litteris exstat adi. furnatus [PELAGON. Veterin. 2 = 29 Ihm]. Nonne licet – brevitatis causa - fingere formam verbalem \*furnandi?

<sup>2</sup> *caupōna* \*pittāria *Pizzeria*. cfr Helfer, *Lexicon Auxiliare*, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.424: „Pizza \*pitta (Neapolitāna) [1. Eichenseer VL 87,552]. Pizzeria \*pittāria, -ae f. [1. Eichenseer loc. cit.]“.

\*

Quattuor mensibus post Meyerbeckius transfert sedem suam ad habitaculum in tabulato quarto situm, quod complectitur duo conclavia, coquinam, balneum, maenianum. Eius uxor, quae non iam est eius uxor, collocata est cum novo locatore<sup>3</sup>, computum parsinae<sup>4</sup> mutavit, tintinnabulo novum titulum affixit. Primâ nocte vir in coquinâ aperit armaria et aspicit vasa escaria, quae uxor ei êmit. Quae sunt multa. Meyerbeckius considit in sellâ. Qui denuo sigarella<sup>5</sup> fumat, quod antea fecerat.

Habitaculum haud procul situm est a firmâ<sup>6</sup>, in quâ Meyerbeckius operatur ex tredecim annis. Quam îdem assequitur per duas stationes ferriviae urbanae<sup>7</sup> breveque iter pedestre. Eius grapheum<sup>8</sup> situm est iuxta conclave computatorum servilium<sup>9</sup> temperaculo aeris<sup>10</sup> instructum, nullâ fenestrâ, solâ photagogo<sup>11</sup>. Quamvis is vir totius firmae sit programmator<sup>12</sup> optimus, recusavit, ne promoveretur ad gradum supraepositi<sup>13</sup>. Meyerbeckius cum haud bene agat cum hominibus, mavult res sibi mandatas accipere verbis scriptis.

Meridie îdem nunc frequentat popinam firmae suae. Prius ibidem vir non versabatur nisi festi natalicii particeps, nam in isto oeco alto fit quaedam resonantia ei molesta. Vespere plerumque comedit in aliquâ voratrinâ<sup>14</sup>. Domi televisorium aspectat, diebus septimanae finalibus interdum in cinematheum<sup>15</sup>. Ad lacum non iam vehitur.

<sup>3</sup> **locātor**, -ōris m. *Vermieter*.

<sup>4</sup> \***parsīna**, -ae f. *Sparkasse*. Qui neologismus ducitur a parcendo. **computus**, -ī n. *Konto*.

<sup>5</sup> \***sigarellum**, -ī n. *Zigarette*.

<sup>6</sup> \***firma**, -ae f. *Firma*. cfr Christian Wilhelm Schweitzer, Quaestionum forensium de firma mercatorum specimen. Lipsiae 1803.

<sup>7</sup> **ferrivia urbana** *S-Bahn*. cfr Helfer, op.mem. p.522, s.v. Stadtbahn: “ferrivia civitatensis [Eichenseer 81,25];

\*ferrivia urbana [Eichenseer VL 82,392]”.

<sup>8</sup> \***graphēum**, -ēī n. *Büro*.

<sup>9</sup> **conclāve computātrōrum servīlium** *Serverraum*.

<sup>10</sup> **temperāculum āeris** *Klimaanlage*. Cfr Helfer, op.mem., p.313 s.v.: „...temperaculum aerium [1. APUL.flor.6].

<sup>11</sup> \***phōtagōgus**, ī f. *Oberlicht*. cfr LIDDELL-SCOTT, Greek-English Lexicon, Oxford 1968, p.1968, s.v. φωταγωγέω: „...φωταγωγός, -όν enlightening, illuminating, of the sun...II. ἡ φωταγωγός (sc. θυρίς) opening for light, window, LUCIANUS, Symposium 20, De Domo 6.“

<sup>12</sup> \***programmātor**, -ōris m. *Programmierer*. cfr Helfer, op.mem., p.433.

<sup>13</sup> **supraepositus**, -ī m. *Abteilungsleiter*. cfr Helfer, op.mem., p.66, s.v.: „[n.VL 83,66]“

<sup>14</sup> **vorātrīna**, -ae f. *Schnellrestaurant*. cfr Helfer, op.mem., p.486, s.v. Schnellimbiß: „voratrīna, -ae f. [TERT.apol.39]”

<sup>15</sup> \***cīnematēum**, -ēī n. *Kino*.

Die eius natali quadragesimâ quintâ uxor mittit tachygramma<sup>16</sup> et îdem vir accipit chartam parsinae praeimpressam<sup>17</sup>. In firmâ mulier quaedam praeposita ei donat scatulam pralinorum<sup>18</sup> in pantopolio<sup>19</sup> emptam. Mulier ex Meyerbeckio quaerit, nonne vexetur solitudine. Eadem: »Semper« inquit, »solus es, Domine Meyerbeck, hoc tibi nocet«. Meyerbeckius non respondet.

\*

Quodam diei dominicae vespere Meyerbeckius in televisorio spectat relationem de pupis venereis<sup>20</sup> factam. Inter ipsam iam emissionem televisificam vir computatrum portabile expedit et fabricatoris quaerit paginam retialem. Usque horam quintam matutinam vir in aliquo foro retiali legit ea, quae talium puparum emptores referant de experiētiis suis.

Postridie in firmâ vir vix potest animum attendere ad opus faciendum necnon abit solito prius. Domi in computatro portabili iterum iterumque novas pupas colligit interque se comparat earum qualitates. Faciem, mammarum magnitudinem, cutis colorem (a »pallido« usque ad »cacaoticum«), colorem labiorum (»armeniacum, rosaceum, rubrum, aeneum, naturalem«), colorem unguium, oculorum, capillorum. Sunt undecim typi vaginarum. Vir firmae annuntiat se esse aegrotum, quod numquam fecit antea. Per aliquot horas cum dormiverit, vir scit pupa sua quis vocetur: *Lydia*.

Octo septimanis post Meyerbeckius diem sibi sumit a labore vacuum. Nam fascis cursualis affertur ineunte tempore postmeridiano. Vir in instrumento allatoris nomen subscribit fascemque chartonaceum in habitaculum trahit.

<sup>16</sup> \***tachygrámma**, -atis n. SMS.

<sup>17</sup> \***praeimpressus**, -a, -um *vorgedruckt*. cfr Prokop von Templin, Adventuale ac Natale Iesu Christi, sive Deliciae Spiritvs Hibernales, München 1666, Privilegium Caesareum: „Dummodo tamen praed. Libri, Caesarei huius nostri privilegii tenorem pro publica notitia atque cautela praeimpressum exhibeant...“

<sup>18</sup> \***pralinum**, -ī n. *Praline*.

<sup>19</sup> **pantopōlium**, -ī n. *Supermarkt*. cfr LIDDELL-SCOTT, op.mem., p.1300, s.v. παντοπωλείω: „...παντοπωλίον, τό *place where all sorts of things are for sale, general market, bazaar*, PLATO, Respublica 577d.“ – cfr [https://la.wikipedia.org/wiki/Pantopolium\\_GUM](https://la.wikipedia.org/wiki/Pantopolium_GUM): “**Pantopolium GUM** (Russice: Торговый Дом ГУМ, quae sunt sigla pro Главный Универсальный Магазин, i.e. *Principale pantopolium*) est pristinum **pantopolium** et hodie nobilium tabernarum **mercatus Moscuae** area circiter 75.000 m<sup>2</sup>.”

<sup>20</sup> **pūpa venerea** *Sexruppe*.

Pupa panno molli est involuta, vir gaudet, quod ea gerit lintea subligacula. Pupa est ponderosa, pendit ferê 50 chiliogramma. Vir eam tollit ex scatulâ chartonaceâ, ponit in stibadio, affert amiculum balneare eiusque umeris imponit. Vir it in coquinam ianuamque post se concludit. Qui omnia de pupâ legit. Ea est sceleto chalybeio, quo »fieri non possunt luxationes innaturales«, cutis pupae constanter eget strato pulveris odorati tenui. Ut maneat »flexilis« et »cuti vivae simillima«. Horâ post Meyerbeckius revertitur in conclave medianum. Vir pupam non aspicit. Qui chartam spissam complicat ad purgamenta allaturus. At introitum assecutus se convertit et televisorium expedit.

Decem diebus post adventum Lydiae Meyerbeckius primum omnium cum eâ concumbit. Tribus septimanis post îdem vir mulieri per interrete mandat vestimenta, lintea subligacula, calceos, camisas nocturnas necnon amictorium collare. Meyerbeckius discit cibos coquere, ne vespere frequentaret cauponam, nam vult unâ esse cum Lydiâ. Saepe nunc cum eâ spectat cinemata amatoria. In firmâ cogitat de Lydiâ, omni die Lunae affert ei flores. Vespere Lydiae narrat, quid sibi acciderit, post nonnullas septimanas vir cum Lydiâ loquitur sine ullâ linguae haesitatione. Qui emit exercitabulum domesticum<sup>21</sup>, ut corpus exerceat. Quandocumque nocte unâ cum Lydiâ in lecto cubat, cum eâ colloquitur de rebus futuris agendis, de domo, quam est empturus, ut Lydia ibi in horto possit sedere aprico neve ab ullo homine perturbetur.

\*

Aestatis exeuntis mitissimo tempore postmeridiano Meyerbeckius in viâ focale suum exuit et aperit camisiae suae botonem supremum. Prius îdem talia numquam fecit. Nonnullis diebus ante Lydiae êmit vinum spumosum et duodecim rosas, die natali Lydiae, quae nunc apud eum fuit ex duodecim mensibus. Meyerbeckius cogitat hunc annum fuisse pulchrum.

---

<sup>21</sup> **exercitābulum domesticum** *Hometrainer*. **exercitābulum**, -i n.: cfr Falzacappa, Informatio super dubio, Romae 1834, p.10, §32, n.6: "Veritae insuper, ne haec quoque lautitiae ad carnis petulantiam **exercitabulum** fierent, duriter corpus habuerunt, assiduis vigiliis, longoque orationum numero exercitum, er verberibus crebris in servitutem datum".

Ianua podii Meyerbeckiani vecticulo est aperta. In conclavi mediano pupa iacet stibadii reclinatorio superposita, vestis et subligacula linteola sunt discissa, caput centum octoginta gradibus torsum est, crura supra modum dispersa. Ori et ano et vaginae infixae sunt candelae candelabri. Mensae conclavis mediani stilo fucandi, quem Meyerbeckius Lydiae êmit, inscripta sunt verba: »PHY!<sup>22</sup> PORCE PERVERSE!«.

Meyerbeckius scit vicinum suum haec fecisse. Nam eum saepius observavit caput super pluteum declinasse, ut habitaculum inspiceret.

Meyerbeckius candelas tollit. Lydiae crura et caput cautê retorquet. More medici corpus Lydiae manibus attingit, sciscitatur num quid fractum sit in sceleto Lydiae. Quam brachiis impositam in conclave balneare gerit, pyelo imponit, epitonio aperto aquam infundit. Per plus duas horas Meyerbeckius Lydiam balneat leniter cum eâ loquens. Necnon eam spongiâ molli lavat, eius aperturas corporales eluit, capillos comit machinulâque favoniâ siccatur. Interdum Meyerbeckius balneum relinquit, ne Lydia videat se flere. Deinde vir eam ex pyelo tollit, deterget, in lectum fert. Īdem Lydiam permulcens cautê eius cutem inspergit pulvere odorato. Vir Lydiae induit camisiam nocturnam, ei imponit lodicem, lumen exstinguit.

In conclavi mediano Meyerbeckius vestimenta discissa candelasque cucullo purgamentario infercit. Īdem mensam conclavis mediani tam subtiliter purgat, ut nihil restet verborum stilo fucandi scriptorum. Ianuam podii concludit clavis affixam.

Hac nocte Meyerbeckius dormit in stibadio. Compluries surgit visurus, quomodo se habeat Lydia. Vir consedit in sellâ iuxta lectum positâ et tenet manum Lydiae apprehensam.

Postridie mâne Meyerbeckius firmae telephonicê annuntiat sibi propter infortunium aliquod familiae sumendos esse nonnullos dies ab officio vacuos. Proximos dies ĩdem vir degit iuxta Lydiam.

---

<sup>22</sup> **phÿ!** *Pfui!* cfr Oxford Latin Dictionary, Oxford 1982, p.1376: “phÿ, *interj.* [Gk. φÿ] An exclamation of disgust. Praeceptorum plenust istorum ille. – Phy! Domi habuit unde disceret. TERENCE Adelphoe 412.”



Apparatum televisorium imponit cubiculo dormitorio Lydiaeque recitat textûs e libris excerptos.

\*

Quattuor septimanis post vicinus Meyerbeckii affertur in nosocomii receptorium urgentiae<sup>23</sup>. Duae costae vicini et clavicula sinistra sunt diffractae, eius testiculi sunt contusi, ambo dentes incisivi sunt expulsi, vulnus lacerum<sup>24</sup> dextro supercilio superpositum octo ictibus erat consuendum. Protocollo medici urgentiae inscriptum est vicinum esse ante habitaculum suum inventum, rem a vicinâ telephonicê nuntiatam esse.

Astyphylaces vehuntur ad sedem vicini incolasque domus interrogant. Cum tintinnabulo Meyerbeckii usi sint, is aperit, sed nihil dicit. Astyphylacibus tradit cucullum plasticum, in quo inest clava follis bassi<sup>25</sup>, cui adhaeret sanguis. Idem viri Meyerbeckio imponunt manicas ferreas eundemque humum supprimunt. Sed Meyerbeckius se non defendit. Cum magistratus certo sciunt eum non esse periculosum, permittunt, ut vir considat. In cubiculo pupa est lecto imposita. Meyerbeckius fertur in phylaceum<sup>26</sup>.

Horâ post astyphylacissa studet Meyerbeckium interrogare. Quae interim scit eum adhuc nullam poenam accepisse, officium constanter gerere, divortium fecisse. Clavam follis bassi per interrete êmit, ratio nummaria cucullo infuit. Astyphylacissa Meyerbeckio concedit tempus ad respondendum. Qui tam vehementer balbutit, ut vix possit dicere nomen suum. Illa quaerit ex eo, pupa quis vocetur. Vir primo suspicit. Dicit »Lydia«. Deinde facilius ei est respondere.

Actor publicus Meyerbeckium accusat corporis periculosê violati. De casu agitur coram iudicio scabinorum, causa fit decem mensibus post facinus commissum. Meyerbeckius cogitat nunc omne verbum maximê valere. De hac re cum Lydia collocutus est, iterum iterumque coram illâ hoc exercuit, sed nunc ne id quidem contingit, ut eloquatur

<sup>23</sup> **receptōrium urgentiae** (nosocomiū) *Notaufnahme (eines Krankenhauses)*.

<sup>24</sup> **vulnus lacerum** *Platzwunde*.

<sup>25</sup> **clāva follis bassi** *Baseballschläger*.

<sup>26</sup> **\*phylacēum**, -ei n. *Polizeiwache*.

sententias simplicissimas. A iudicissâ praesidente interrogatus, num crimen sit verum, nihil facit nisi annuit. Vicinus attestatum medici misit, quo affirmatur illum, cum esset aegrotus, venire non posse. Nemo testis auditur nisi astyphylacissa. Quae refert, quales factae sint investigationes et quid dixerit Meyerbeckius interrogatus. Quem omnia confessum esse, se non credere eum esse mente captum. Astyphylacissa: »Is vir« inquit, »nullo morbo laborat nisi solitudine«.

Iudices cuidam psychiatrum mandavit, ut casum perquireret. Iudiciis praesidens ex eo quaerit, num Meyerbeckius sit periculosus.

Psychiater: »Alienum quidem«, inquit, »est pupas amare, sed non periculosum«.

»Saepiusne talia fiunt?« iudicissa praesidens interrogat.

Psychiater: »His viginti annis« inquit, »industria quaestuosa exorta est, quâ pupae hominibus similes fabricantur siliconio sceletisque chalybeis aut alumineis. Pretium autem talium puparum interest tribus milibus quingentis et quindecim milibus euronum. Tales pupae conficiuntur in Russiâ, Germaniâ, Francogalliâ, Iaponiâ, Angliâ, Civitatibus Unitis. Mox iis imponentur computatra, ut possint loqui. Adhuc nulla exstat disquisitio repraesentativa et subtilitate scientificâ facta, sed secundum relationes usque nunc publicatas emptor talium puparum typicus est cutis albae, solitarius, heterosexualis, aetate, quae interest quadraginta et sexaginta quinque annis. Pupae in paginis fabricatorum interretialibus solent commendari obiecta masturbationis et sexualitatis, sed possessores saepe cum pupis ineunt rationes, quae multo excedunt res merê sexuales. Nonnullis enim hominibus tales pupae fiunt socii consortesve vitae agenda, immo in Iaponiâ eae pupae, quarum possessores veras mulieres in matrimonium ducunt (verisve viris nubunt), sepeliuntur cum caerimoniâ speciali«.

Meyerbeckius videt actricem publicam concusso capite abnuere.

Psychiater: »Agalmatophilia« inquit, »id est amor statuarum puparumve, est amor idoli<sup>27</sup>. Amorem idoli appellamus inclinationes sexuales in res inanimas«.

Iudicissa praesidens interrogat: »Num viris sufficit talis res? Pupa quidem non potest amori respondere«.

Psychiater: »Si in amorem« inquit, »incidimus, haec res est actio intricatissima. Primo non incidimus in amorem ipsius hominis comparticipis, sed in imaginem eiusdem, quam nos mente concepimus. Phasis omnis relationis amatoriae critica eo momento temporis incipit, quo realitas supponitur in locum huius imaginis, i.e., quo cognoscimus, quis alter homo sit revera. In Civitatibus Unitis novimus multa connubia, quae facta sunt inter mulieres vulgares vitam solitam degentes et captivos poenales. Hae mulieres illos viros plerumque noscunt praeconiis, quae ephemeridibus inseruerunt. Ergo sciunt verisimile esse se numquam una cum viris comparticipibus esse convicturas. Tamen tales rationes initalae sunt stabiles. Illud phaenomenon est idem ac hoc, quod apparet in casu Domini Meyerbeck. Amor captivorum, quo mulieres commoventur, numquam probabitur examine realitatis. Etiam amor pupae, quo commovetur Dominus Meyerbeck, non potest fieri realis. Itaque verisimile est eius amorem mansurum esse stabilem. Qui est relatio constanter felix«.

Meyerbeckius condemnatur ad custodiam sex mensium, poena tollitur sub condicione probationis. Iudicissa praesidens dicit omni homini permitti, ut vitam agat talem, qualis sibi placeat, modum vivendi non spectare ad rem publicam, dummodo nemo faciat damnum. »Tamen non possumus quin te condemnemus propter facinus tuum. Persuasum quidem nobis est te pupae tuae afflictionem habuisse pro impetu in mulierem vitae tuae consortem facto. Nos non putamus te esse periculosiorem quam omnem virum alium, cuius uxori vis est allata. At etiamsi Lydia tua verus homo fuisset, facinus tuum non fuisset legitimum. Ad defensionem necessariam provocare non licet nisi impetus modo fit aut imminet. At quia facinus vicini tui iam diu erat transactum, fieri non potuit, ut pupam defenderes sensu iuris defensionis necessariae. Id, quod illi fecisti, fecisti, ut ulcisceris.

---

<sup>27</sup> amor idōlī *Fetischismus*.

Ultio autem est causa quam nos intellegimus, sed quae non comprobatur nostro ordine iuris«.

\*

Domi Meyerbeckius vela obducit, ut unâ cum Lydiâ sola sit. Cui dicit poenam sub condicione probationis tollendam non esse gravem. Necnon Lydiae narrat de causâ iudiciali, de iudicissâ praesidente, de angore, quo erat affectus. Multo post caput Lydiae bracchio Meyerbeckii est impositum. Qui cogitat: »Nostra relatio est constanter felix«. Meyerbeckius pro certo habet se rectum fecisse, hoc fuisse necessarium, quidcumque iudicissa dixisset.

Deinde unâ obdormiscunt.

**Haec narratio criminalis excerpta est ex opere Ferdinandi de Schirach cui titulus est: «Strafe» (Poena): Ferdinand von Schirach: STRAFE Stories. 1.editio. Luchterhand Literaturverlag. München 2018, p.60-71.**



## **ECHÛS VOCES**

**Prof.em. Walter Berschin  
16.IV.18**

**Quid fabula Grimmiana iucundius? Quidve versione Leonis nostri latinus? Perge, Nicolae, prospere procede et fabulis Grimmianis quam plurimis nos dices!**

**Tibi et omnibus Latina legentibus id exoptat**

**Walter Berschin**

**VALTERO MAXIME HONORABILI  
SAL.PL.DIC.**

**Summas gratias, care Valtere, quod perhumaniter me mones, ut pergam fabulas Grimmianas in Latinum convertere. Polliceor me operam esse daturum, ut togâ induam integrum opus fabellarum Grimmianum. Faxit Deus Optimus, ut hoc optatum tui meique expleatur.**

**Medullitus te salutat**

**LEO LATINUS**

**<https://www.uni-heidelberg.de/institute/fak9/mlat/Berschin%20Seelenwald.pdf>**

**ECCE VALTERI BERSCHIN ANIMARUM SILVA.**

**TOLLE LEGE MIRARE !**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90




	<b>A</b>	<b>938905-28-9</b>	<b>T.LIVIO DESCRIPTA</b>						
<b>30</b>	<b>00307</b>	<b>978-3-938905-29-6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM UNDESEXAGESIMAM**


**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ Palmarum,  
25. m.Mart. a.2018**



**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**